



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Synopsis Magnalium Divi Josephi

Ignatius <a Sancto Francisco>

Leodii, 1684

Lectori Benevolo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38500



LECTORI BENEVOLO.

TE LECTOREM AMICUM, antequam in hanc Synopsim; illam lustraturus, ingrediaris, amice sisto, non Zoilum: non quod talem timeam; nam primò vix credo talem invenendum contra scribentem de Laudibus amabilissimi illius Sancti, qui & Pater Jesu, & Deiparæ Sponsus & Conjux dici & esse meruit, & ob id est hodie objectum Amoris & Devotionis omnium: Secundò quia etsi fortè aliquis ejusmodi reperiretur (sunt enim semper & in omni re Critici) præterquam quod ipsi magis quàm mihi timendum esset, cum tot ille habitatus esset Adversarios, & ego aut Defensores, aut saltem Excusatores, quot Divus Josephus habet Amatores, idest omnes aut ferè omnes; ejus utique censuram timere non debeo cujus laudem non quaesivi. Te igitur Lectorem benevolum hinc amice sisto, ut gratus ingrediaris, introgressus progrediaris, & adytis lustratis ad exitum pervenias, ibique non ante de toto judicium tuum feras.

Moneo ergò te imprimis me in Primo Primæ Partis Tractatu, qui est de Proludiis ad totam Synopsim, posuisse in ipso vestibulo seu limine ejus, duo Proludia priora, unum de Idæa totius Operis, alterum de ejusdem Consilio, Motivo, & Fine contra morem ordinarium aliorum Scriptorum, apud quos illa duo solent poni in præliminaribus. Ratio mei facti est, quod adverterim illa ab avidis & impatientibus sæpissimè præteriri, ac sic viam ignotam sine duce, sine chartâ, sine regulâ ab illis carpi: quare fatius fore existimavi illa duo non extra corpus Synopsis, sed in ipso ejus introitu collocare, ut illis ibi prælectis ab introeunte, sciat quò & quâ tendat, sicque deinceps jucundius viam suam percurrat. Accedit quod in duobus illis Proludiis, maximè verò in secundo sint nonnulla quæ ad rem ipsius Synopsis, seu materiam in ea dissectatam pertinent, quæ alibi locum aptè non invenissent. Tandem quod per horum duorum Proludiorum ad primum Tractatum additionem, fiet ut iste Tractatus sit minùs cum aliis improportionatus.

Moneo secundò, quod quamvis ea quæ in hâc nostrâ Synopsi de Divi Josephi summis Magnalibus dabimus, ex eodem quo ab aliis fonte, Sacro scilicet Evangelio deprompta sint, non omnia tamen quæ ex ipso hinc tibi propino, planè eadem sunt cum illis quæ alii, ut tu ipse legendo deprehendes:

Synopsis

Magnalibus

D.

Josephus

SV
171

LECTORI BENEVOLO.

quod admirabili sacrae Scripturae fecunditati quae inexhaustibilis est, non tenuitati nostrae, cuius conscii sumus, omnino adscribendum: ut enim elegantissime D. Gregorius Magnus scribit Proëmio in Libr. Reg. *Scriptura Sacra tam mirabiliter ab Omnipotente condita est, ut etsi multipliciter videatur exposita, non desint tamen ei secreta, quibus seruet occulta: quia ferè nunquam sic exponitur, ut ei plura non remaneant, quae quotidie exponantur: quã profectò ejus incomprehensibilitate, Omnipotens Deus, humanae mutabilitati magnã dispensatione consuluit: nam ut vilescere nota non possit, sic mirè disposita est, ut cognita nesciatur, & eò legatur gratius, quò quotidie discitur, ac dum semper recentia intimat, suavius oblectet.*

Moneo tertio, quod cum in tam ampla disputatione fieri nequeat ut omnia sint ejusdem saporis, sicut nec gustus omnes erunt ejusdem dispositionis, non potest etiam fieri quod omnibus omnia aequè placeant: quare si de fastidiosis es, quibus facile nauseat stomachus, quae tibi minus grata videbuntur vel percurrendo lege, vel etiam si velis transili, haesurus in iis quae magis erunt ad palatum tuum: Si verò de sanis, qualem te cupio, cave ne illos imiteris, qui vinum explorantes, degustatã vini modicã parte, de toto judicant: magnum enim praëjudicium foret, nisi tantisper iudicium tuum suspenderes; prius totum lege ut intelligas, & inuenies procul dubio hinc vitam tam admirandis omnigenarum virtutum ornamentis, tam clarè & firmiter assertis, refertam, ut nulla in totã Historiã Ecclesiasticã huic similis tibi apparitura sit, exceptã Mariæ vitã.

Moneo quartò me in aliquibus prolixiorẽ fuisse, v. c. in explicandã Regali ejus Genealogiã ex Patriarchis, Regibus, & Ducibus contextã; in referendã magnã circa illam sententiarum diversitate, & refutandã objectionum contra illam multitudinẽ: in asserendo illius ad Sceptrum & Regnum Davidicum jure directo & immediato, ac per eum ad Christum Filium suum transmisso: in explicando ejus vero virgineo tamen cum Virgine Deiparã Conjugio: in stabilendã firmiterque fulciendã ejus verã ac stricti juris ad Christum Paternitate: sed praeterquam quod nimis prolixum dici nequit id à quo nihil adimi potest quin mancum remaneret: illa omnia sunt fundamenta totius Synopsis & Magnalium Divi Iosephi quae in eã prosequimur, & ideo maximè curanda fuerunt ut bales & fulera, quibus cetera innituntur, & à quibus suam accipiunt firmitatem; quod certè praestari non potuit sine aliquã prolixitate, illa tamen nonnullis curiosis aut studiosis adpersi ad tollendum vel leniendum fastidium.

Moneo quinto, cum saepius occasione Paternitatis Divi Iosephi dicam in hoc Opere, quod Spiritus Sanctus hujus Virginei Sponsi vices suppleverit quadrare S. Leonis Papae serm. 7. de Nativit. Domini monitum sanctissimum. *Cum ad intelligendum Sacramentum Nativitatis Christi, quã de Matre Virgine est ortus, accedimus; abigatur procul terrenarum caligo rationum, & ab illuminatã fidei oculo mundanae sapientiae sumus abscedat.* Ne scilicet quod intentione

LECTORI BENEVOLO.

tione sanctâ dictum est, ad indignum tanto Mysterio sensum iniquè detorqueatur. Quare hoc dictum non aliter intellige quàm juxta mentem & doctrinam Doctorum Solis Divi Augustini ex serm. 63. de divers. cap. 20. in Synopsi Part. 2. Tract. 2. cap. 11. num. 2. & cap. 16. Sect. 3. num. 16. 18. & 19. & cap. 17. num. 3. traditam, & paucis his ejus verbis miro veritatis lumine reserpsam: *Quod Spiritus Sanctus operatus est, utrisque (idest Mariæ & Josepho) operatus est sed in eo sexu quem parere decebat operatus est hoc quod etiam Marito nasceretur..... Justus Vir, Justa Fœmina, Spiritus Sanctus in amborum justitiâ requiescens ambobus filium dedit.*

De cætero hunc meæ exiguitatis conatum æqui bonique consule, cujus post Dei, qui in Sanctis suis gloriosus est, gloriam; hunc unicum mihi finem & scopum proposui majorem, scilicet Sanctissimi Patris Jesu honorem & cultum, & ex eo tuam & omnium utilitatem: in hoc me Deus adjuvet cujus voluit esse Filius, & Beatissima Virgo Deipara, cujus ipsa ex Dei voluntate Conjux & Sponsa. Amen.



Synopsis

Magnificat

D.

Josephus

SV